



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **TIBUENSIS\*** IN COLUMBIA NOVA CONDITUR

DIOECESIS TIBUENSIS Quam provido quidem tunc Nos pastorali consilio in Columbia constituerimus Praelaturam territorialem Tibuensem, tantis videmus interea progressibus ad plenam vitae operaetque inibi catholicae maturitatem processisse tantoque simul christifidelium ipsorum et operum ecclesialium auctu creuisse ut iam mereri sibi pieno iure Nobis certiorem stabilioremque videatur condicionem inter totius orbis ecclesiasticas diciones. Nihil proinde satisfacere dubitamus votis ac precibus Venerabilis Fratris Iosephi de Iesu Quintero Diaz, Episcopi Praelati ipsius Tibuensis, qui nuperius petivit, adsentiente prorsus Conferentia Episcoporum Columbiae, ut sua tandem Praelatura ad dioecesis evehetur dignitatem. Auditis interea Legato Nostro eandem apud nationem Paulo Romeo, Archiepiscopo titulo Vulturiensi atque Apostolico Nuntio in Columbia, necnon ipsa Congregatione pro Episcopis, haec quae continuo subsequuntur fieri iubemus et volumus. Commemoratam Praelaturam *Tibuensem* territorialem ad gradum promovemus ac iuridicalem dioecesis dignitatem, iisdem nimirum finibus ad servatis quibus in praesentia circumscribitur tum etiam momine ecclesiastico et civili quo nunc ipsum appellatur. Episcopalem sedem novae huius communitatis in urbe « Tibú » constituimus ibidemque templum Deo ad honorem Sancii Aloisii Beltran dicatum ad condicionem provehimus et Ecclesiae Cathedralis honorem. Eundem autem pastorem, qui Episcopus Praelatus illius dicionis fuit, Iosephum de Iesu Quintero Diaz primum dioecesi huic libentes sane praeficimus. Haec vero ad mentis Nostrae exsequenda decreta designamus pro tempore illic Nuntium Apostolicum in Columbia cui necessarias et oportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate statutum, officio adiecto ad Congregationem pro Episcopis germanum exemplum actus ipsius peractae execusionis remittendi. Contrariis quibusvis rebus nequaquam obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undetribusimo mensis Decembris anno Domini millesimo nonagesimo ottavo, Pontificatus Nostri vicesimo et primo.*

ANGELUS card. SODANO

LUCAS card. MOREIRA NEVES

*Secretarius Status*

*Congr. pro Episcopis Praef.*

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Marcellus Rossetti, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCI (1999), n. 4, pp. 332-333 © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana